

Anton Affelmann Johannes Natorp

**Deo Coepta Secundante Excelso IC. Ordine permittente in inclyta
Megapolensium Academia Sub Praesidio Antonii Affelmanni Susatensis Westfali
Syllogen rerum quotidianarum De Homicidio Cum strictim in Genere: tum fusius,
& in Specie ...**

Rostochi[i]: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730911187>

Druck Freier  Zugang



Nord

Affelmann - Naturp. Vert. 1/6
j. 1623.

DEO COEPTA SECUNDANTE

Excelso ꝛc. Ordine permittente in inçlyta

MEGAPOLENSIUM Academia,

SUB PRÆSIDIO

ANTONII AFFELMANNI

SUSATENSIS WESTFALI

Syllogen rerum quotidianarum

DE HOMICIDIO

Cum strictim in GENERE: tum fusius, & in
SPECIE

*Quibus modis committatur, ac
Quando, qualiterq. puniatur.*

IN DISPUTATORIO PANDECTARUM COLLEGIO

Doctissimorum suorum Collegarum, nec non aliorum
disquisitioni, ac censurae exponit

JOHANNES Natorp

Mindanus

Ad d. Februar. horis locoq; consuetis

ANNO M. DC. XXIII.

*Quem hominis natura pudore non suffudit, is profecto dignus est, ut,
& in bonis, & existimatione, & omnibus alijs mulctetur, Imp.
in Nobel. 60. c. 1.*

ROSTOCHI

Typis exscribebat JOACHIMUS PEDANUS

Acad. Typographus.



VIRI

PRUDENTISSIMIS, DOCTRINA, MULTIPLICIQUE
RERUM USU EMINENTISSIMIS.

DN. ALBERTO Schreiber.

DN. JOHANNI FRIDERO

DN. GABRIELI Natorp

Pervetustæ Reip. Mindanæ Civibus
primarijs,

DN. HERMANNO Fürstenowen/


Laudatissimæ Reip. Hervordiensis civi
itidem primario & spectatissimo.

*Dnn. Fautoribus, Promotoribus Affinibus,
Fratri, officiosè colendis.*

Hanc disputationem in certissimum gra-
ti animi symbolum, honoris & amoris monu-
mentum, strenæ loco offert, & inscribit.

JOHANNES Natorp.

62 26





DEO DUCE ET AUSPICE.



Uemadmodum in omnibus maleficijs, non tam quid fiat, quam quo animo, quibusq; de causis fiat spectandum est, l. & generaliter 3. §. si igitur 1. ff. de calum. l. item apud Labeonem 15. §. interdum 45. ff. de injur. l. si ex lege 43. ff. ad l. l. de adult. l. Divus 14. ff. ad L. Corn. de Sic. l. 1. C. eod. ita imprimis in Homicidio diligenter discernendum: an dolo vel necessitate: an mentis imbecillitate & inopiâ: culpa vel casu: inconsulto calore, & iræ fervore sit commissum. Quamvis enim Homicidij crimen atrocissimum sit, & ipso etiam Adulterio gravius, Socin. cons. 157. n. 8. & seqq. lib. 2. Jacob. de Arena tr. de quest. n. 7. illudq; abhorreat natura, rectaq; ratio, certis tamen ex causis legibus approbatis, homicidij auctor ab omni pœna, tam civili quàm criminali atq; ecclesiasticâ censurâ immunis est: vel si reatui omninò eximi nequeat mitius tamen alijs punitur. Quas causas & casus, cum omnium interfit cognoscere, ne quis per ignorantiam judicantium ad immeritas deposcatur pœnas, Ord. crimin. art. 138. operæ pretium visum fuit, Homicidij materiam disquisitioni subijcere, atq; ijs, quos perversa subinde digladiandi libido agit frenum legale ob oculos ponere: cæteris verò viam mitiorem, quâ pœnas effugiant ostendere.

I. Homicidium ab hominis cæde dictum, Henr. de Segus. in sum. lib. 5. tit. de homicid. volunt. & cas. n. 1. est quælibet exanimatio violenter facta, quâ anima à cor-

pore separatur, *l. item Melan. §. Celsus 3. ff. ad L. Aquil. Bald. in l. qua actione 7. §. 1. cod. Wes. in par. ad L. Corn. de sic. n. 5. Gilb. in arb. jud. crim. c. 2. tit. 12. n. 1. Alth. 1. J. R. 54. vel brevius: est cædes hominis contra jus facta, Vult. 1. J. R. 48. n. 4. Alias descriptiones vid: apud Henr. de Segus. d. l. Farin. qu. crim. 119. n. 3. Definitur exanimatio, seu cædes hominis, quia solus homo subjectum hujus criminis adæquatum est, non animal brutum: & si homo à fera, vel bruto occidatur, propriè non est homicidium, sed dicitur pauperies, *t. 1. ff. & J. si quadrup. paup. feciss. dic.* Hominem autem utriusq; sexus intelligo. Nam & fœmina propriè, & non per extensionem aliquam homo est, quod displicet Alb. de Gandin. tr. de malef. rubr. de quast. & torment. n. 11. & post eum alijs: imprimis Jacob. Cujac. 6. O. 21, qui proprietate Gallici idiomatis C. ut opinatur Bachov.) vel potius perverso intellectu *l. si quis aliquid 38. §. qui abortio- nis 5. ff. de pæn. deceptus, J. C. fœminam propriè non esse hominem, defendere audeat, cui abundè satisfactum ab Excellentiss. J. C. D. Joh. Goed. in com. ad l. 1. ff. de V. S. n. 30. & seqq.**

2. Nec habetur hic ratio status: an liberum hominem, an verò servum, alienum, vel proprium quis occiderit, *l. 1. §. & qui 2. ff. ad L. Corn. de Sic. nec ætatis: nam & infanrem occidens hominem occidisse censetur, l. pen. C. eod. Bonifac. de Vitalin. tr. de malef. rubr. de homicid. & qui dic. homic. n. 2. Cujac. 6. O. 21. Wesenb. in par. d. l. n. 7.* In partu & foetu abacto, vulgò distinguunt inter foetum animatum, & non animatum, de quo fatius infra, ubi de homicidij pœnis separatim agetur. Nec refert, alterum, an scriptam quis occiderit. Qui enim sibupsi mortem infert, non tantum in se, sed etiam in Rempubl. quam cive spoliari injurius est. Nec quicquam interest, quo teli genere,

nerē, vel quocunq; interficiendi modo homicidium sit commissum, si de animo occidendi constet, *l. qua actione 7. §. occisum 1. ff. ad L. Aquil. Bonif. de Vital, d. l. Card. Host. in sum. d. l. n. 3. Damhoud. pr. crim. c. 69. Wesenb. in parat. d. t. n. 8.*

3. Divisio homicidij, quā à CC. dispescitur in spirituale & corporale hac propriè non pertinet. De corporali homicidio nobis potissimum sermo, quod est, vel verum, vel quasi homicidium, *Gilhaus. in arb. jud. crim. c. 2. t. 12. n. 2. Harpr. tr. cr. ad §. item lex Cornelia 5. §. de publ. jud. n. 33.* Verum est, cum homo re ipsa occiditur. Quasi homicidium appellant DD. si quis hominem castraverit, aut seipsum castrandum præbuerit, *l. ejusdem 3. §. alia 3. l. 4. §. idem Divus 2. l. 5. l. 6. & l. circumcidere 11. ff. ad L. Corn. de Sic.* Instar enim homicidij est virilitatem, vel sexum homini adimere, & cum magno vitæ periculo res ea conjuncta est; adeò, ut ex multis paucissimi incolumes evadant, *Imp. in praf. Nov. 142. Althus. 1. J. R. 54.* Deinde quasi homicidium dicitur, si quis cum telo hominis occidendi causa in publico ambulaverit, *§. item lex Cornelia 5. §. de publ. jud. l. 1. pr. ff. ad L. Corn. de Sic. l. is. qui 7. C. eod. l. aut facta 16. §. eventus 8. ff. de pæn. Vult. 1. J. R. 48. n. 11.*

4. Verum homicidium aut est voluntarium, sive spontaneum: aut involuntarium. Voluntarium subdivido in planè voluntarium, seu dolosum, & illud, quod fit lege permittente.

5. Homicidium planè voluntarium, seu dolosum est, quod dolo malo perpetratur, *l. 1. §. Divus 3. l. qui eadem 16. ff. ad L. Corn. de Sic. l. perspicendum 11. §. delinquitur 2. ff. de pæn. in quo dolus, non fictus, & adumbratus, sed verus, & animus malus præcipuè attenditur, qui fa-*

cit, ut p̄ x̄næ legis Cornelie locus sit, d. l. 1. §. Divus l. in
 lege & l. in eadem ff. d. t. l. 1. C. eod. Bart. in l. 1. §. non au-
 tem n. 1. & seqq. ff. si is qui testam. lib. ess. juss. Bald. in l. da-
 ta opera num. 7. C. qui accus. poss. Dec. cons. 482 n. 7. Paris.
 cons. 161. n. 8. & seqq. Atq; adeo præcisè dolus requiri-
 tur, ut nec culpa lata dolo hic æquiparetur, d. l. in lege
 7. ff. & l. eum qui 5. C. ad L. Corn. de Sic. P. H. D. art. 146.
 gloss. in l. in actionibus 5. verb. non etiam ob culpam ff. de in-
 lit. jurand. Jas. in l. 1. n. 33. ff. de legat. 1. Felin. in c. presbyte-
 rum n. 1. de homicid. vol. & cas. Card. Host. in summ. lib. 5.
 h. t. num. 3. Guia. de Sza tr. de indic. & tort. n. 87. Franc.
 Brun. tr. de indic. & tortur. p. 2. q. 5. n. 24. Wes. in par. d.
 l. n. 23. Gail. 2. O. 110. n. 2. & 1. de P. P. c. 7. n. 11. Vigel. in
 M. J. R. c. 13. spec. 4. excep. gen. 1. repl. 1. Voltz. in com. ad
 L. Corn. de Sic. c. 3. n. 3. Petreus concl. crim. 144. excepto
 casu l. si quis 38. §. qui abortiois 5. ff. de pen. ubi ratio spe-
 cialis est. Scire enim quis debebat, ex poculo amatorio
 furorem, & aliquando mortem sequi posse, Gilhaus. in
 arb. crim. c. 2. tit. 12. n. 9. Neq; huic contrarium est, quod
 culpam magnam dolum esse, vel dolo proximam, asseri-
 tur in l. 1. §. hac additio 1. ff. si mens. fals. mod. dix. l. quod Ner-
 va 32. ff. de pos. l. si fidejussor 29. pr. ff. mandat. l. impuberibus
 7. §. si fraus 1. ff. de susp. tut. l. quasitum 8. §. cum quoq. 3.
 ff. de precar. l. magna negligentia 226. de V. S. Accipiendæ
 enim hæ leges sunt de actionibus ex contractu, vel quasi
 descendantibus: non ijs, quæ ex delictis gravioribus de-
 scendant, per jur. alleg. Gomez. tom. 3. var. res. tit. de ho-
 micid. n. 16. Goed. in com. ad l. cedere 213 §. lata culpa 2. n. 2. de
 V. S. qui tamen per culpam latam in l. 226. intelligit cul-
 pam malitiæ, quæ latâ culpâ major est, & imperitiæ im-
 prudentiæq; metam longe excedit, fraudisq; speciem in-
 duit,

6. At

6. At verò controversum maximè est: an dolus in hoc homicidio præsumi: an verò ab allegante probari debeat? Regulariter in dubio dolum non præsumi, sed indicij perspicuis, & urgentissimis probari debere, communiter Dd. concludunt per text. in l. si Prator 7. vers. Marcellus ff. de judic. l. sed si servus 3. §. sed & si 2. ff. de tribut. act. l. quotiens 18. §. qui dolo 1. ff. de probat. l. dolum 6. C. de dol. mal. Alb. de Gand. tr. de malef. rubr. de falsar. n. 29 Gail. 2. O. 110. n. 4. quia quilibet præsumitur bonus, donec contrarium probetur c. fin. de præsumpt. Sed hæc, & consimilia, quæ actum, non mala, sed bona intentione factum præsumi debere evincunt, procedunt in ijs, quæ sunt de genere permissorum: non autem in homicidio, in quo dolus ex facto ipso præsumitur, donec ab homicida præsumptio hæc fortiori elidatur, l. 1. & l. eum qui 5. C. ad l. Corn. de Sic. Alb. de Gand. d. tr. de malef. rubr. de homicid. & eor. pæn. n. 28. Gomez. var. res. 3. c. 3. num. 17. Matth. Gribald. Moph. tr. de omn. gen. homicid. cap. de homicid. dolo. n. 4. & seqq. Wes. in parat. ad d. t. ff. ad L. Corn. de Sic. n. 10. Omnia enim delicta legibus sunt prohibita, & ita illicita: rei autem illicitæ, & prohibitæ operam navans, ipso facto censetur esse in manifesto dolo: arg. l. quod est 3. §. qui armati 5. ff. de vi & vi armat. l. prator ait 2. §. doli mali 8. ff. de vi bon. rapt. c. qui contra 82. de R. J. in 6. Felin. in c. in presentia n. 13. de probat. & in c. si autem n. 1. & seq. de rescript. Jas. in l. in actionibus n. 23. ff. de in lit. jur. Alex. cons. 103. n. 13. vol. 1. Mascard. de probat. concl. 864. n. 31. & seq. Matth. Grib. Moph. d. l. n. 7. Gail. d. O. 110. n. 8. & l. de P. P. c. 7. n. 12. Myns. resp. 6. n. 7. & seqq. dec. 14. Wes. in par. d. l. Vigil. M. O. C. lib. 2. cap. 11. verb. dolus exc. 1. Valent. Voltz. in com. ad L. Corn. de Sic. c. 2. n. 13. & 21. ibiq. Burchard. in not. lit. m. quæ præsumptio juris
& de

& de jure dicitur, *Menoeh. lib. 5. pras. 3. n. 45. Socin. rēg. 94.*
& consequenter pro liquidissima & indubitata probatio-
ne habetur, *Alb. de Gand. d. tr. rubr. de prasumpt. num. 4.*
Schwann. O. C. 33. n. 4.

7. Ex prædictis nascitur quæstio: An in accusatio-
num libellis doli mentio expressè facienda? Doli expres-
sionem præcisè non requiri existimat *Voltz. in d. c. 5. n. 13.*
& *seqq.* ideo, quod ex delicto ipso dolus præsumatur,
& libellum præsumptivè concludere sufficiat, *Bart. in l. o-*
mnes 17. §. Lucius 1. ff. que in fraud. cred. Felin. in c. dilecti
n. 2. de libell. oblat. quem refert, & sequitur Gail. 1. O. 61.
n. 17. Alij, tunc demum id procedere volunt, si factum,
cum suis circumstantiis ita sit delineatum, ut ex ejus nar-
ratione colligere non sit difficile, dolum non abfuisse. Sed
& eo casu contentiois evitandæ causa dolum malum di-
sentè exprimere, accusatori non oberit, sed proderit, per
ea, quæ latè & eleganter adducit *Voltz. d. l. num. 18. &*
seqq.

8. Quanquam autem jure & legibus, ex ipsius ho-
miciidij natura introducta sit præsumptio contra homi-
cidam, ut prolixè in præcedentibus demonstratum; sola
tamen ea ad ordinariam pœnam irrogandam non sufficit;
sed requiritur, ut accusator perspicuis & indubitatis indi-
cijs ostendat homicidium dolo malo fuisse commissum,
Voltz. d. l. n. 22. & seqq.

9. Quibus ex conjecturis, & indicijs dolus satis
arguatur, certâ regulâ definiri nequit; sed judicem ex
sententia animi sui existimare oportet, an dolum malum,
& animum occidendi credat, aut parum probatum opi-
netur. Probatio enim in facto versatur: quæ autem in facto
consistunt, non possunt certò definiri, *l. mora 32. ff. de usur.*
Et in specie, facti quæstionem esse, an aliquis occidendi
ani-

animum habuerit, atq; ex re, h. e. ipso facto, ejusq; circumstantijs constituendum, an jC. in l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sicar. Goed. in com. ad l. 41. n. 14. de U. S.

10. Colligunt tamen pleriq; animum istum primò ex factis externis, veluti si quis incautum & nihil tale cogitantem adortus sit, eumq; proditoriè ac insidiosè occiderit: itemq; si consilia præcesserint, & deliberationes: si apparatus institutus: socij, amici, adjutores advocati, arma conquesta, &c. de quibus vid. Menoch. de A. F. Q. cas. 361. à num. 23. Farin. q. cr. 125. n. 436. & seqq. & q. 126. n. 93. ubi cumulum allegatorum reperies. Sic II. præsumitur animus occidendi ex odio magno & inimicitia capitali præcedente. Inimicum enim inimico male velle probabile est, Matth. Gribald. d. c. de homicid. dol. n. 10. Marc. Ant. Blanc. tr. de indic. n. 89. Farin. d. q. 126. num. 177. 178. 179. III. ex verbis ab accusato ante rixam, in rixa, vel post rixam prolatis. Linguæ enim Imperator est cor, & ex verbis animus colligitur, nemoq; existimandus est dixisse, quod mente non agitaverit, l. Labeo ait 7. §. Servius 2. ff. de supell. leg. l. Nepos 125. de U. S. atq; nullum mentis nostræ testimonium verius est, quàm qualitas expressa verborum Farin. d. q. 126. n. 158. ubi varia hujus præsumptionis, ex alijs adducit exempla. Idem de minus, ante homicidium statim secutum, prolatis judicium est, Menoch. d. cas. 361. n. 39. IV. ex instrumenti qualitate, seu armorum genere, l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sic. c. significasti de homicid. M. Ant. Blanc. d. l. n. 83. Mascard. de probat. concl. 531. n. 138. & concl. 864. n. 33. Guil. 2. O. 110. n. 7. Ves. in par. ad d. c. n. 8. Vigel. in Const. Carol. c. 7 reg. 1. exc. 3. in duplic. Goed. in com. ad l. 41. n. 13. de U. S. utpote, si quis, alia arma, minus ad occidendum idonea præsto habens, gladio, hasta, pugione percusserit; vel similibus instru-

B

men-

mentis ad mortem inferendam præparatis, & apils occi-
sum sit adortus, *Farin. d. l. n. 117.* Ut & ex percutiendi
modo, veluti, si quis gladium stringat, & eo percutiat, cum
ense in vagina recondito advertario resistere potuisset,
d. l. 1. §. 3. Farin. n. 191. Oritur V. præsumptio ex loco vulne-
ris, seu parte corporis læsa, ut, si quis in capite, pectore, ventre,
aliove loco periculosissimo, in quo facile vulnus lethale
indigi potest, percusserit, *c. significasti 18. ubi Felin. & CC.*
comm. de homicid. vol. & cas. Nec non ex *multitudine, &*
magnitudine vulnerum, percussioneq; reiteratione. Nam &
aliàs reiterationo robur dat actui invalido, *Hipp. de Mars. in*
l. 1. n. 37. & seqq. C. ad L. Corn. de Sicar. VI. ex improbi-
tate persona, & delinquendi consuetudine, in eodem delicti
generes; arg. l. si cui 7. §. si tamen 3. ff. de accus. c. semel ma-
lus, ub. Dyn. de R. J. in 6. Blanc. d. l. n. 241. & seqq. Alb. de
Gandin. de malef. rubr. de homicid. & cor. par. n. 28. Fa-
rin. d. q. n. 161. Plura vid. apud allegatos Dd. imprimis
Menoch. de A. J. Q. cas. 361. Boss. in præct. tit. de inquis.
n. 110. & seqq. Blanc. de indic. passim. Farin. d. q. 126. per tot.
Cæpoll. cons. 31.

II. Ut autem præsumptiones enumeratæ dolum pro-
bant: ita eundem aliæ contrariæ conjecturæ excludunt.
Omnium fortissima præsumptio, quâ dolus excluditur,
est *præsumptio juris*, quando quis jure permittente aliquid
agit, & facit actum à jure permissum, *arg. l. si quis fugiti-*
vus 17. §. apud Labeonem 12. ff. de edil. edict. l. nullus 55. &
l. nemo 151. de R. J. Altera dolum excludens præsumptio
oritur ex *delinquentium familiaritate*, quando non solum
nulla inimicitia præcessit, nullaq; inimicitia causa, sed
magna quoq; fuit interficienti cum interfecto familiari-
tas, conjunctio, & amicitia, *Menoch. de præf. lib. 5. præf.*
49. n. 15. & seq. Alb. de Gand. d. l. n. 29. Farin. d. q. 126. n. 182.

III. ex

III. ex qualitate, seu genere armorum; per l. 1. §. 3. ubi gloss.
& Dd. ff. ad L. Corn. de Sic. Si quis ergo percusserit pu-
gno, clave, cucuma, baculo, aliove instrumenti gene-
re, ad vulnera lethalia infligenda non preparato, dolum
abfuisse præsumitur, Boss. in pract. tit. de homicid. n. 37. in
fin. & n. 44. Farin. n. 128. & multis seqq. Wes. in par. d. t. n.
9. Dom. Card. Tusc. pr. concl. lit. H. concl. 143. n. 3. IV. ex
loco vulneris, si quis percusserit in loco non periculoso, in
quo vulnus regulariter non est lethale, Aret. in cons. 80. si-
cut decet. pr. quem allegat, & sequitur Sybald. d. tr. de ho-
micid. c. de homic. dolos. n. 11. Dom. Card. Tusc. d. concl. n. 10.
Cravet. cons. 119. n. 9. V. ex percutiendi modo: qualitate
persona, & conjecturis alijs, de quibus prolixè Farin. Card.
Tusc. & alij locis allegatis.

12. Quænam conjecturæ sufficientes sint: quot,
& quales ad excludendum dolum requirantur, id ipsum
religioni judicantis est committendum. Illud generale,
& regulare est, quod, quando contrariæ præsumptiones
concurrunt, una tollat aliam; fortior & specialis excludat
minus fortem & generalem; & plures vincant pauciores.
Menoch. 1. præf. 30. num. 1. Farin. d. 9. n. 99. Capol. cons. 31.
n. 8. & 9.

13. Hinc quæstionem habet elegantem, nec minus
utilem: an locus vulneris debeat magis attendi, an verò
genus armorum? e. g. percussit quis aliquem in capite,
aut alia parte corporis periculosa, sed baculo, pugno,
candelabro, vel alio instrumento communiter ad occi-
dendum non apto: quæritur: an pro percutiente, do-
lum abfuisse, præsumi debeat? Ita statuendum videtur.
Nam, ut th. præced. dixi; fortior præsumptio perimit
debilitorem; arg. l. non est verisimile fin. pr. ff. quod met. caus.
l. cum de indebito 28. pr. ff. de probat. l. non solum 7. §. de

anno r. ff. de rit. nupt. At illa, quæ ex genere armorum depromitur, est fortior alterâ, quæ ex loco corporis percussif desumitur: primò quia benignior est, & reo favet, *l. favorabiliores. ubi Dd. de R. J.* Deinde, quia certior & verisimilior est, *Menoch. de A. J. Q. cas. 472. n. 18. & 22.* Quandoquidem percussio in capite facta plures admittit dubitandi rationes, ob quas non statim præsumitur animus occidendi, quàm illa, quæ ex genere armorum sumitur. De tali namq; casu loquor, quo quis alia arma ad occidendum magis apta in promptu habuit, & posthabitis illis, alia minus mortem allatura arripuit. Sed quæ quæso hujus est ratio, si non illa, quòd animus occidendi abfuerit? Si nulla alia arma, præter fustem, baculum, & consimilia, percutiens præstò habuerit, aliud dicendum est. Nulla enim tum præsumptio pro accusato concurrat, quæ alteram illam, contra eum, tollat. Idem judicandum, si percutiens fuerit occisi inimicus capitalis: per ea quæ fasè tradit *M. Gribald. d. c. de homicid. dolos. n. 16. & seqq. Mascard. concl. 864. n. 12. & seqq. Farin. d. q. cr. n. 132. & seqq. ubi juxta prædicta, pro percutiente, Roma, tempore Sixti V. judicatum refert.*

14. Species homicidij dolosi, non incommodè dici potest homicidium proditorum, quod est cædes hominis, nihil tale suspicantis, per insidias perpetrata, *c. 1. de homicid. cas. & vol. Gribald. Moph. d. tr. c. ult. num. 1. Farin. q. cr. 13. num. 75. & seqq.* Differt autem in eo proditorium à doloso, quòd in proditione semper inest dolus: sed non vice versa. Appellatur nonnunquam latrocinium: quia proditoriò occidere dicitur, qui non valentem resistere, & incautum, more latronum obtruncat; arg. *l. Divus s. ff. ad L. Pompej. de parricid. c. admonete. 33. q. 2.* Homicidium quoq; proditorium dicitur, si homo veneno interficiatur, *Gribald. d. l. n. 10. apud quem varias prodi-*

proditoria species vide. *Farin. d. q. 18. n. 74. qui ibid. n. 76. post alios statuit*: Homicidium proditorium non tantum appellari, si quis amicum, vel eum, cujus se amicum fingebat, insidiosè interficiat: sed et si inimicum per insidias trucidet; pro qua sententia allegat *Covar. Plac. Menoch. & alios.*

15. Homicidium dolosum, ut & proditorium, committitur, vel in extraneos: vel in sanguine & necessitudine junctos, quod dicitur Parricidium, *S. alia deinde lex. 6. ubi Dd. I. de publ. jud.* Crimen hoc adeo grave & atrox à veteribus reputatum est, ut illi nullam indicere poenam voluerint, *Plutarch. in Romul.* Impossibile enim esse crediderunt, tam nefarium scelus ab homine committi posse. Dicitur Parricidium, quasi parenticidium, & Parricidæ quasi parentes cædentes, *Plac. lib. 1. epit. delict. c. 22. n. 2.* Hinc Parricidium propriè dicitur, quod inter parentes, & liberos committitur, *l. un. C. de his qui parent. vel lib. occid. Valt. r. J. R. 48. n. 6. lit. e.* Lege Pompeja Parricidium non solum inter parentes & liberos; sed etiam inter cognatos, affines, conjuges, patronum & liberum committitur *l. 1. ubi Dd. ff. ad L. Pompej. de parric. Damhoud. in pr. crim. c. 87. n. 1. Lancilot. Conrad. de offic. prator. in caus. crimin. tit. de parricid. n. 4. Gilhaus. in arb. jud. crim. c. 2. t. 14. n. 2.* imò & inter alias personas lege Pompeja expressè non comprehensas, de quibus *in l. 3. & 4. d. t. Lancil. Conrad. d. l. Wesenb. in parat. ad L. Pomp. de parric. n. 9.* Quod de parentibus & liberis dictum, ad patrem & filium naturalem extendunt *Dd. quos magno numero adducit & sequitur Farin. qu. cr. 120. n. 110.* nec non ad patrem spirituales, *Tiraqu. de pæn. temp. caus. 21. n. 2. quem referendo sequitur Bajard. in add. ad Clar. S. parricidium num. 21.*

16. Committitur præterea homicidium dolosum, vel immediatè manibus proprijs, de quo hætenus: vel mediatè, quando quis per aliam dolo malo internecioni causam dat, & hominem interfici procurat. Si interveniente pecunia id ipsum fiat, ita, ut Christianus, vel infidelis, ad interficiendum Christianum, seu infidelem mercede conducatur, vocatur homicidium hoc conductitium Affassinium, Affassinatus, Affassinamentum: Conductor seu mandans dicitur Affassinator: Locator, seu mandatarius, Aaffassinus, c. 1. ubi CC. de homicid. in 6. Bart. & Dd. in l. non solum 11. §. si mandato 3. ff. de injur. & in l. Cicero 39. ff. de pæn. Ang. Aret. tr. de malef. verb. & Sempronium Rodulphi fol. 61. & seqq. edit. Venet. Clar. in pr. cr. §. affassinium. Damboud. c. 83. Lancil. Conrad. de offic. prat. in caus. crim. tit. de affassinis, Farin. qu. cr. 123. n. 1. & n. 19. & seqq. Gilb. in arb. jud. crim. c. 2. t. 13. num. 1. & 2. Eberh. Speckh. cent. 3. clas. 2. q. 3.

17. Ut autem delictum hoc, tam ex parte affassini, quam affassinatoris commissum dicatur, tria conjunctim Dd. requirunt: 1. mandatum non tantum ad vulnerandum, sed occidendum. 2. ut intervenit merces data, vel promissa. 3. ut intuitu ejus mercedis mandatum fuerit executioni datum; aut saltem ad actum effectui proximum deventum, Decian. 9. tr. crim. 30. n. 41. Mascard. de probat. concl. 138. n. 10. & seqq. Honded. cons. 93. num. 65. & seqq. vol. 2. Quibus modis affassinium committatur, de eo prolixè pro more suo differentem vid. Farinac. d. q. 123. n. 19. & seqq.

18. Deinde mediatè homicidium committitur mandando, si mandatum simplex, & gratuitum interveniat, l. & si percussor 6. pr. & l. prius 17. ff. ad SC. Silan. l. non ideo 5. C. de accusat. Lancil. Conrad. d. l. tit. de mandante homic.

num. 3. *Wes. in par. ff. ad L. Corn. de Sic. n. 12.* Mandatum hoc inducitur quocunq; modo, & quibuscunq; verbis; per l. 1. ff. *mandat. Mascard. de probat. concl. 866. num. 1. & concl. 1012. n. 4.* si modo appareat de intentione, & voluntate mandantis, *Mascard. d. concl. 866. n. 1. confer omnino Farin. q. cr. 134. passim.*

19. Ratificatio æquiparatur mandato, l. 1. §. sed & si quod 14. ff. *de vi & vi arm. c. cum quis. de sentent. excom in 6. Boss. in pr. tit. de mand. ad homic. n. 8 Decian. tr. cr. lib. 9. c. 38. n. 1. Lancil. Corr. d. 1. n. 8.* etiamsi ex ratificato homicidio ad ratificantem nihil pervenerit, *Farin. q. cr. 135. n. 44.*

20. Tertiò causa mortis datur: consilium suggerendo, persuadendo, intelligendo, c. *sicut dignum 6. §. qui vero. de homicid. volunt. & cas. c. si quis viduam 8. dist. 50. c. perniciosè 23. de pœnit. dist. 1. Decian. lib. 9. tr. cr. c. 31. Damhoud. pr. cr. c. 70. n. 4. & seqq. Lancil. Corr. d. 1. tit. de consulentibus n. 1. Jacob. de Novell. in pr. & theor. caus. cr. rubr. indicia qua preced. deb. n. 48, fol. 31. edit. Venet.*

21. Quartò: iniquè condemnando, vel iniquum præceptum exequendo; veluti, si crudelis magistratus sub prætextu legis & justitiæ innocentem falsis testibus subornatis convictum, & condemnatum ultimo supplicio affici curet, l. 1. pr. l. 4. pr. ff. *ad L. Corn. de Sic. Card. Host. in sum. lib. 5. h. t. n. 3. Damhoud. d. c. 70. n. 15. Bonif. de Vital. tr. de malef. rubr. de homicid. n. 4. Wesenb. in par. d. l. Vel, si inferiores magistratus & iudices, ad superioris justum sententiam iniquam exequantur, Hippel. de Marsil. ad l. 1. pr. n. 119. & seqq. d. 1.*

22. Quintò: falsum testimonium perhibendo, si testis dolosè contra aliquem in crimine capitali falsum testimonium deponat, d. l. 1. §. præterea 1. *Wes. d. l. Valtz. in append.*

append. ad L. Corn. de Sic. n. 90. Lingua enim omni ferro est nocentior, & revera hominem occidit, qui falsa depositione innocentem opprimit, Damboud. in pr. cr. c. 70. num. 3.

23. Deniq; post delictum commissum associando, l. si quis in gravi 3. §. si quis quem 12. ff. ad SC. Silan. Jacob. de Novell. d. l. fol. 20. n. 70. & seqq. Et modis alijs de quibus Dd. in comm. ad L. Corn. de Sicar.

24. Ad Homicidium voluntarium lege permittente commissum venio, quod ideo legitimum appellat M. Gribald. Moph. tr. de homicid. c. de homicid. legit. num. 1. & seqq. & committitur ab eo, qui occidit Transfugam, l. e jusdem 3. §. fin. ubi Dd. ff. ad L. Corn. de Sicar. Card. Host. in sum. b. t. lib. 5. n. 3. Damboud. pr. cr. c. 81. n. 1. Bannitum imperij, Const. Pac. Publ. anno 1548. Augusta erecta tit. die Voer der Friedbrecher pr. O. C. p. 2. t. 9. §. So jemandt 1. Clar. pr. cr. §. homicidium n. 52. in fin. & n. 54. Jacob. de Novel. d. l. f. 85. num. 38. Nell. à S. Gemin. de bannit. p. 2. temp. 2. n. 7. & seqq. (cui in eo non assentior, quod n. 46. cum muliere bannita, eâ invitâ, adulterium impunè committi posse opinatur) Denas jur. Cam. t. 43. §. 1. & 3. Becht. de secur. & salv. cond. concl. 118. ubi inter bannitum ob delictum, & bannitum ob contumaciam, quoad hunc effectum nihil discriminis esse asserit: quod etiam statuit Gail. 1. de P. P. c. 5. n. 12. Goedd. cons. Marp. 28. n. 142. vol. 2. Hic Q. an filius patrem bannitum impunè occidere possit? Quod nego, cum Plac. in epit. delict. c. 36. n. 3. & seqq. per text. in l. si adulterium 38. §. liberto 9. ff. ad L. Jul. de adult. Nov. 12. c. 2.

25. Par est ratio ejus, qui adulterum cum uxore vel filia sua; vel uxorem filiamve cum adultero *ἐν ἕργῳ* deprehensam occidit, si modò modus adhibeatur præferi-

scriptus in l. patri 20. 21. 22. 23. 24. & l. 32. ub. Dd. ff. ad L.
Jul. de adult. l. Gracchus 4. C. cod. P. H. D. art. 150. pr.
Dom. Card. Tusc. pr. concl. lit. H. concl. 142. n. 35. Nec non
qui occidit stuprum sibi, vel suis per vim inferentem, l. 1.
§. item D. vius 4. ff. ad L. Corn. de Sic. M. Grib. Meph. d. l.
Wesemb. in par. ad L. Corn. de Sic. n. 20. & 21.

26. Lictores, ministri prætoriani, viatores, quorum
muneris est reos requirere, & in vincula deducere, teme-
rario periculosoq; conata resistentes, impunè occidunt:
per text. in l. si servus 4. C. de his qui ad Eccles. conf. P. H.
D. art. 150. vers. m'he so jemand. Damboud. pr. cr. c. 84. n.
35. Gail. 2. O. 110. n. 40. Aliud dicendum, si rei non se ar-
mis defendant, sed aufugant. Fugientes enim à vigili-
bus, licitoribus, & apparitoribus impunè vulnerari, aut
interfici non possunt, Farin. q. cr. 32. n. 44. Fachin. 9. contr.
74. nisi apparitores, ut fontem, vel vivum, vel mortuum
capiant, in mandatis habeant, Farin. d. l. n. 45. qualia
tamen mandata ejusmodi farinæ ex tribu levi hominibus
non facilè danda sunt, Pet. Peck, de jur. sist. c. 25. n. 5.
Obrecht, de neces. def. c. 6. num. 49. in fin. Bech. de secur. &
salv. cond. concl. 202.

27. Cœterùm ille imprimis lege permittente occi-
dit, qui in dubio vitæ discrimine constitutus, vitæ corpo-
risq; sui defensionem suscipit, eumq; qui vim injustam
infert, interficit. Vim enim cum internectione aggres-
soris vi repellere licere omnia jura concedunt, Exod. 2. 12.
Act. 7. 24. c. jus naturale dist. 1. c. significasti 18. de homicid.
vol. & cas. clem. pastoralis §. cœterùm de exec. rei judic. l. ut
vim. 3. ub. Dd. com. ff. de J. & J. l. scientiam 45. §. qui cum
4. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. vim vi 27. ff. de vi & vi arm. l. 1.
C. und. vi. l. is qui 2. & l. liceat 5. C. ad L. Corn. de Sicar.
tit. 27. §. 1. lib. 2. feud. P. H. D. art. 139. Nisiq; corpus no-
strum

C

strum

strum defenderemus cum possemus, peccaretur à nobis perinde ac si nobis ipsi vim intulissemus, secundum Paul. de Castr. ad d. l. 3. n. 9. de l. & l. Farin. q. cr. 125. n. 23. Obr. tr. de neces. def. c. 1. n. 23. Zoann. de neces. def. p. 1. n. 3.

28. Homicidium itaq; hoc legitimum censetur à quocunq; etiam, & contra quemcunq; vim inferentem commissum sit, per jura alleg. Excipitur Bannitus qui cum juxta prædicta licitè offendi possit, homicidium se defendendo committere nequit: ubi enim offensio est concessa, ibi defensio est prohibita per l. si servus 4. C. de his qui ad Eccles. confug. Farin. q. cr. 103. n. 29. plures allegat Becht. de secur. & salv. cond. concl. 117.

29. Non tantum aggressorem hoc casu interficere licet, sed quemcunq; aggressori assidentem; per. l. is qui 2. C. ad L. Corn. de Sic. Farin. q. cr. 125. num. 150. imò etiam mediatorem, & tertium quemcunq; si illi absq; suo periculo parcere in vasus nequeat, Menoch. de A. J. Q. cas. 324. n. 9. Farin. d. l. n. 142. Wes. in par. ad L. Corn. de Sic. n. 22. Obr. tr. de neces. def. c. 5. n. 16. Dom. Card. Tusc. pr. concl. lit. H. concl. 142. n. 8.

30. Defensionis favor tantus est, ut proximo etiam in discrimine mortis constituto quivis succurrere, non possit tantum, sed debeat per l. culpa 50. l. nullum 109. ff. de R. J. l. scientiam 45. pr. ff. ad L. Aquil. V. H. D. art. 150. vers. Item so einer zu rettung si absq; vitæ suæ periculo id facere possit; arg. l. soluto 2. pr. ff. solut. matrim. Gomez. 3. ref. c. 2. n. 9. & c. 3. n. 21. Zoan. de neces. def. p. 1. n. 94. Phil. Matth. ad d. l. 50. n. 15. & seqq. de R. J. Dom. Card. Tusc. d. concl. 142. n. 6.

31. Id aptè hic quaeritur: an pro defensione rerum in vasores etiam occidere liceat? Affirmativam magnæ fidei, & autoritatis Interpretes secuti sunt: Accurs. Bart. las.

*las. in l. 3. de J. & J. Clar. J. homicidium n. 25. Placerepit. de
 libt. c. 28. n. 31. pag. 494. edit. Lugd. Sixtin. conf. Marp. 16.
 n. 60. vol. 2. Vult. conf. Marp. 16. n. 88. vol. 1. Vasqu. 1. contr.
 ill. 18. n. 5. ubi hanc communem opinionem esse refert: & esse
 de mente omnium serè Dd. quod pro defensione rerum suarum
 licitum sit aliquem interimere Farinac. asseverat d. q. 125. n.
 170. Verùm negativam cum alijs non minoris fidei &
 autoritatis Dd. rectius defendi posse existimo. Nullibi
 enim in iure scriptum legitur, quod pro defensione rerum
 adversarium nostrum occidere liceat: quin potius omnia
 iura, quæ eadem defensionis gratiâ commissam probant,
 de hominum defensione loquuntur, l. 5. pr. ff. ad L. A-
 quil. l. 4. C. ad L. Corn. de Sic. Et de iure Canonico res ex-
 pedita est, propter text. in c. 3. & 16. de homicid. vol. & cas.
 Farin. d. l. n. 172. Zoann. de neces. def. p. 1. num. 40. & seq.
 Obr. c. 8. Weſſab. conf. 19. n. 52. Bocer. de duel. c. 9. n. 1. &
 2. Fachin. 1. contr. 31. Harpr. tr. cr. ad §. 5. n. 172. l. de publ.
 jud. & alij allegati à Petreo concl. crim. 119. lit. b. Excipio
 tamen casum, quo cum vi bonis illata vis corporis & vi-
 tæ conjuncta est, Farin. d. l. n. 236. Jacob. de Novel. in pr.
 & theor. crim. f. 85. n. 29. Zoan. d. l. n. 36.*

36. Pro defensione famæ & exultimationis injuriam
 tem vulnerare, vel occidere adeoq; honorem suum armis
 defendere nemo debet, l. que omnia 25. ff. de procur. §. in-
 juria 2. l. de L. Aquil. Quos enim Magistratus sua com-
 ponere potest jurisdictione, eos ad arma, & rixam pro-
 cedere pati non debet, l. non est singulis 176. ff. de R. J.
 Obr. d. tr. c. 9. n. 7. & seqq. Harpr. tr. crim. d. l. num. 166.
 Quid autem; si nocturno tempore verbali aliquis inju-
 ria afficiatur; contumelijs laceretur, vel provocetur: an-
 ne lapidibus ex musæo vel ædibus se defendere poterit:
 vel quod magis est, bombardæ globis & pulvere tormen-

tario repletæ explosione, aliove violentæ defensionis modo injuriam illam licitè repellet? Si simul actores itti ædes, musæum, conclave oppugnent, vel fenestras excutiant, mentis eorum dementiam hujusmodi hellebaro expurgari nonnunquam posse existimo cum *D. Foman. disp. de privil. stud. th. 75. per l. 1. C. und. vi. l. 3. §. fin. ff. de vi & vi arm. & jura consimilia.*

33. Defensio pudicitie cum necesse insidiantis, virginie ejusq; amicis merito conceditur; per *l. 1. §. 4. ff. ad L. Corn. de Sic. l. justa 9 pr. ff. de manum. vind.* Virginitas enim semel amissa recuperari nequit; nec virginem quam post ruinam resuscitare potest, *Farin. q. cr. 125. n. 44. Obr. de neces. def. c. 2. n. 5. & seqq. Borch. de feud. c. 7. n. 43. Harpr. tr. crim. ad §. 5. l. de publ. jud. n. 165 Wesenb. conf. 19. n. 57.* Plura de Homicidio necessario hoc loco adducere nostri non est instituti.

34. Sequitur Homicidium involuntarium, quod aut mentis imbecillitate, & inopia; aut casu inopinato sine culpa, vel culpa aliqua præcedente, aut interveniente committitur. Mentis imbecillitate & inopia perpetratur ab infantibus, *l. infans 12. ubi latè Hippol. de Marsil. & Dd. comm. ff. ad L. Corn. de Sicar.* non enim habent delinquendi affectum & animum, *§. in summa l. de obl. que ex del. sine quo homicidium voluntarium non committitur, l. 1. §. Divus 3. ff. ad L. Corn. de Sicar. Pet. à Plac. in epit. delict. c. 32. n. 1. Damhoud. in pract. cr. c. 84. n. 1. Vincent. Caroc. tr. de minor. in delict. excus. q. 3. pr. Gilhaus. in arb. jud. cr. c. 2. t. 12. n. 52.* quod ad infantes infantie proximos extenditur, si doli non sint capaces, *Plac. d. l. n. 3. Menoch. de A. J. Q. cas. 57. n. 17. Vincent. Caroc. d. tr. q. 16. Wes. in par. ad L. Corn. de Sic. n. 25. Phil. Matth. ad l. ferè in omnibus 108. num. 12. & seqq. de R. J. Gilhaus.*

haus, d. l. De pubertati proximis : minoribus, & senibus
aliud statuendum est, Vincent, Caroc. d. l. q. 19. & seqq. Phil.
Matth. d. l.

35. De furioso idem quod de infante iudicium
est, P. H. D. art. 150. vers. Item so leut tödten: quemad-
modum enim infantem consilij innocentia : ita furiosum
facti excusat infelicitas d. l. infans 12. Henric. de Segus. in
sum. h. t. lib. 5. n. 3. Placent. tr. de accus. tit. 6. n. 8. Bonif. de
Vitalin. tr. de malef. rubr. de homicid. n. 6. Joh. Francis.
Ponzinib. tr. de lam. n. 83. Bart. Tag. tract. crim. 6. n. 34. &
seqq. Dom. Card. Tusc. pr. concl. lit. F. concl. 540. & concl.
548. Vigel. const. Carol. c. 7. reg. 1. exc. 4. Eodem loco ha-
bendus dormiens, qui furioso æquiparatur l. 1. §. furiosus
3. ff. de acquir. vel amitt. poss. Clem. unic. de homic. volunt.
& cas. Damhoud. pr. crim. c. 84. n. 9. Hier. Cuchal. in apost. ad
tr. de malef. Bonif. de Vital. verb. ebrietas Bartol. Tag. d. l.
n. 56 Gail. 2. O. 110. n. 30. ubi distinguit inter dormientem,
qui surgendi & lædendi consuetudinem habuit, & eum
qui surgendo non est solitus aliquem lædere. Quæ di-
stinctio, quatenus procedat, explicat Clariss. Dn. D. Hunn.
in Resol. Treutl. d. 32. th. 6. lit. d. q. 60. vol. 2.

36. Casuale homicidium est, quod quis citra
animum hominis occidendi committit: idq; vel merè casu-
ale est: vel cum culpa conjunctum. Vult. 1. J. R. 48. n. 16.
Merè casuale est, cum forte fortuna citra ullam culpam
quis aliquid facit, ex quo cædes hominis sequatur, l. per-
spiciendum 11. §. delinq. i. ur 2. ff. de poen. l. 1. & l. eum qui 59.
C. ad L. Corn. de Sic. Clar. in pr. §. homicidium vers. casu-
autem n. 2 Damhoud. in pr. c. 84. n. 22. Jacob. de Novel pract.
& theor. crim. f. 59. n. 1. & seqq. edit. Kenet. M. Gribald. de
omn. gen. hom. c. de hom. cas. pr. Dom. Card. Tusc. pr. concl. lit. H.
concl. 41. n. 9. Committitur hoc homicidium ab eo, qui
dat

dat operam rei licitæ, diligentiamq; , quam debet, adhibet; veluti si quis canem infestantem ad sui defensionem saxo petens, casu prætereuntem interficiat: Si quis petulantem equum, cujus vitium ante incognitum fuit, cohibere nequeat, quò minus hominem non opprimat. Vel si, cum quis in tonstrina sua (qui locus ei negotio commodus est) alicui barbam raderet, inopinato casu in manus tonsoris jacteretur, aut tonsor percutiatur, ut gulam ejus, quem radebat, cultello præcidat, *l. item Mela. ff. ad L. Aquil. P. N. D. art. 146. vers.* ein Barbierer schieret einem den Bart in seiner Stuben. Exemplum dari & hoc potest: Si quis in campo jaculationibus, atq; militaribus exercitationibus destinato, jaculis ludens, palum jaciens, dum telum emittit, bombardam ad metam exonerat, transeuntem, transcurentemve lædat, trajectiat; vel si; cum nondum collimasset, telum invito manu fugiat, atq; hominem occidat, *§. itaq; 4. ubi Dd. l. de L. Aquil. P. N. D. d. art. 146. vers.* So ein Schütze in einer gewöhnlichen Zielstatt steht. *Simile exemplum est in artic. præced. 145. Vigel. in Const. Carol. c. 7. reg. 1. exc. 2.* Par est ratio ejus, qui in colluctatione, seu alio ludo licito, colluctorem, vel unum ex spectatoribus, vel attendantibus, non data opera, vel consulto, sed casu occidit, *Menoch. de A. J. Q. cas. 324. n. 5. & cas. 400. n. 1. & seqq. Lail. 2. D. 110. n. 38. Rauchb. q. 25. n. 11. lib. 2. prolixè Farin. q. cr. 126. n. 31. 32. 33. ubi homicidium merè casuale & illud vocat, s. duo in scrimia. h. e. ludogladiatorii ensibus ludant, & invicem dimicando alter alterum occidat.*

37. Culposum homicidium est, quod non voluntate & dolo malo, sed culpa contingit: committitur autem primò, quando dans operam rei licitæ casu aliquem occidit, culpâ tamen aliquâ casum præcedente, ut in specie *l. si putator 21. ff. ad L. Aquil. ubi putans arborem publicæ*

ac trita via impendentem, dejiciendo ramum non exclamavit,
& ita viatorem oppressit. Sic, si tonfor in via publica, aut
ubi homines ex consuetudine tonderi non solent, quem
radat: aut miles sagittarius, bombardarius, in alio loco,
quam qui ad exercitandum, jaculandum datus est, ut quâ
vulgò iter fit, ejaculatus fuerit, aut si imprudenter arcum
tormentumve in loco ipso destinato tractarit: & ita quis
à tonfore vel milite occidatur, operam quidem rei licitæ
occisor dedit, sed in modo adhibendo culpam commisit,
P. H. D. d. art. 146. vers. Vnderstünd sich aber der Barbier
rer an der Gassen. Vigel. in Const. Carol. de exc. 2. in repl.
Deinde homicidium culpòsum committitur, quando quis
dans operam rei illicitæ ac prohibitæ, absq; dolo tamen
aliquem interficit, M. Gribald. Moph. d. tr. c. de homicid.
culp. num. 3: veluti si quis sclopetum, quod pulvere, &
glande plumbea oneratum esse ignorat, joco in aliquem
intendens, occidat. vid. Farin. q. cr. 126. Dom. Card. Tusc.
pr. concl. lit. H. concl. 144. & 145. ubi varia homicidij casualis
& culpòsi reperies exempla.

38. Homicidium in rixa commissum, an ad homi-
cidium culpòsum, an verò potius dolosum referri debeat,
de eo non levis inter Dd. est controversia, ut videre est
ex ijs, quæ fuscè prosequitur Farin. de q. 126. n. 47. 48. 49.
Sed de hac quærit & nonnullis alijs paulò post commo-
dius, ubi qualiter & quando homicidium puniatur ex-
ponemus. Atq; hæc de vero homicidio, quomodo per-
perretur sufficiant. Quasi homicidium quomodo com-
mittatur, ex thes. 3. satis apparet.

39. Homicidium commissum, vel punitur: vel quo-
dammodo excusatur: aut pœnam nullam meretur. Jus
divinum imponit homicidio doloso pœnam mortis,
Gen. 9. 6. Exod. 21. 12. Levit. 24. 17. Num. 35. 31. Deut. 19. 11.
Matth.

Matth. 26. 51. Apoc. 13. 10. Unde, cum vox Dei, & natura sit, ut sanguis ejus fundatur, qui fudit sanguinem, merito consuetudo, vel statutum, quo poena pecuniaria homicidæ doloso irrogatur, irrationabile haberi debet. *Host. in c. 2. n. 2. in verb. consuetudinem. ex de delict. puer. Clar. pr. cr. §. homicidium n. 15. Covar. var. res. lib. 2. c. n. 2. vers. deinde quod poena. Farin. q. cr. 119. n. 27. & seqq. Laurent. Kirchov. com. op. cent. 4. concl. 63. n. 35. quæ est statutum Poloniæ, quo cavetur, ut si quis Knezonem, n. e. plebejum hominem rusticum occiderit, decem marcas solvere teneatur: quod Regem Stephanum abrogare quidem in animo habuisse, sed effectui non dedisse, ejus rei periti referunt: vid. Bachov. in not. at Trentl. disp. 1. th. 9. lit. b.*

40. Jure Canonico Clericus homicidium dolosum committens deponitur, & beneficijs privatur, c. presbyter 12. dist. 81. c. cum non ab homine 10. §. consultatio- ni tue. de judic. c. sicut dignum 6. §. clericos fin. de homicid. vol. & cas. Card. Host. in sum. lib. 5. h. t. n. 4. Petr. à Plac. epit. delict. c. 11. n. 1. Clar. §. homicidium n. 16. Post depositionem in monasterium detraditur, c. si episcopus 7. dist. 50. vel potius ad perpetuum carcerem damnatur. In illis enim casibus, in quibus jura civilia poenam mortis naturalis imponunt, in his jura Canonica (quæ pro quocunq; gravissimo delicto, sanguinis poenam non infligunt) poenam perpetui carceris imponunt. *text. in c. pen. in fin. de heret. c. novimus 27. de V. S. c. quamvis 3. de pen. in 6. Ita statuit post Bart. Bald. Jas. Abb. Felin. & alios à se allegatos Petr. à Plac. epit. delict. d. c. 11. n. 16. Quam sententiam procedere putat Farin. d. q. 119. n. 41. quando in monasterium detrusus poenitentiam non agit, vel de fuga suspectus, vel cum homicidium est qualificatum. Homicidam laicum*

laicum jure Canonico excommunicari communiter CC, tradunt, qui *c. omnis 4. dist. 3. & text. consimiles*, in quibus reum criminis mortis poena afficiendum esse asseritur, non de morte corporis, sed excommunicatione accipiunt. *Hofst. in sum. lib. 5. h. t. n. 4. Plac. d. l. n. 17. Farin. d. q. n. 57. Dom. Card. Tusc. pr. concl. lit. H. concl. 148. n. 4.*

41. Jure civili veteri ex L. Cornel. de Siciarijs homicidij poena erat deportatio, & bonorum omnium ademptio, quæ progressu temporis, quoad illos, qui altioris gradus dignitatem non obtinebant, in ultimum supplicium est mutata, *l. 3. §. pen. ubi Dd. & in l. eadem 16. ff. ad L. Corn. de Siciar. §. 5. l. de publ. jud. ubi Schneid. Wes. Myns. Borch. Vult. Rittersh. & Dd. com. in comment. Plac. epit. del. c. 10. n. 2. Alb. de Gand. tr. de malef. tit. de homicid. & cor. poen. n. 4. M. Grib. Moph. de omn. gen. hom. c. de hom. dol. n. 3. Cujac. ad t. 23. pr. lib. 5. sent. Paul. Wes. in par. ff. ad L. Corn. de Sic. n. 17. Voltz. in com. ad tit. eund. c. 5. n. 6.*

42. Hodie indistinctè homicida, qui se jure occidisse probare non potest, summo supplicio afficitur, *P. N. D. art. 137.* Et meritò. Homicida enim Dei officium sibi vindicat, cujus est occidere: nobilissimam creaturam ad imaginem Dei factam interimit: Reip. membrum auferit: propinquis sanguine junctum adimit: seipsum proximo privat, & naturam, quæ cognationem quandam inter homines constituit, offendit, *Damboud. in pr. cr. c. 67. n. 2. & seqq.* Semper ergo, quod fecit expectet, *l. 3. C. de Episc. aud. l. si quis 8. C. ad L. Corn. de Sic. Bonif. de Vital. tr. de malef. tit. de hom. n. 6.* Neq; est constituenda aliqua conditionis, & status personarum differentia. Tum, quia lex divina inter homicidam non distinguit: Tum, quia consideratione humanæ vitæ, & naturæ omnes sumus æquales, *l. quod attinet 32. de R. l. Damboud.*

D

d. c.

*d. c. 67. in fin. Clar. in §. homic. n. 18. Don. Ludov. à Peguar.
q. cr. 14. n. 14. Farin. q. cr. 119. num. 17. Voltz. in com. ad L.
Corn. de Sic. c. 5. n. 18.*

43. Regulariter quidem homicidæ gladio feriti so-
lent: pro qualitate tamen criminis, & aliarum circum-
stantiarum pœna gladij augetur: veluti in occidentibus
innocentes infantes; personam in dignitate constitutam;
ortu conspicuam: in interficiente conjugem suam, con-
sanguineum, dominum, patronum &c. in hisce namq;
casibus qualitas adhuc præparatoria pœnam ordinariam
aggravans addi potest, ut scilicet homicidæ antequam
ultimo afficiantur supplicio, forcipibus candentibus ad-
urantur, & irahæ injecti ad locum supplicij pertrahan-
tur *P. H. D. art. 137. vers. vnd man mag in sūrgestem Mord.*
Sic quoq; vasallus Dominum suum, à quo feudum habet
occidens, non solum morte punitur, sed etiam honorem
ac bona sua amittit, *c. 1. §. porro si dominum r. 24. lib 2-
feud.* Pariter accumulatur supplicia in publicis latroni-
bus, qui rota tunduntur, & postea ipsi rotæ imponuntur:
& præterea interdum ob atrocitatem insignem, aut rei-
terationem sæpius factam similiter condemnatus præpa-
ratorio aliquo supplicio afficitur, ita ut vel ad caudam
equi alligatus, vel irahæ impositus ad supplicium traha-
tur; nec non pro numero cædium perpetratarum binis,
ternis, vel pluribus vicibus, forcipibus candentibus ustu-
letur, *P. H. D. d. art. 137. art. 193. & 194.* Augetur item
pœna homicidij, si quis veneno aliquem occiderit, *P. H.
D. art. 130. V. Nicol. Vigel. const. Carol. c. 7. reg. 5.* atq;
huic severitati, non minus ac aliij, Pharmacopolæ ac Me-
dici, scientes prudentesq; necandi hominis causa, vene-
num conficientes, aut propinantes, subjacent. *P. H. D.
art. 134. Gail, 2. O. III. n. 27.*

44 Al-

44. Altioris indaginis quæstio est: an foetum in utero materno occidēs, aut abortum procurans, poena homicidij capitali sit afficiendus? Vulgò distingui solet inter foetum animatum & non animatū ex *Exod. 21. 23. & seq.* qui locus obscurus dubiæq; interpretationis est, & ab alijs ad mulierem læsam, ab alijs ad foetum refertur: quæ posterior sententia Augustini esse dicitur in *c. Moyses 32. q. 4.* Quæ tanquam vera præsupposita, distinctio allata meritò retinetur. Quanquam enim in textu de casu procuratæ abortionis nihil tractetur: colligere tamen inde licet, quod si eo casu, quo quis mulierem percutiendo, seu lædendo, foetum animatum occidit, poena mortis imponitur; multò magis, si directò quid fiat ad mortem foetus procurandam. Rationes alias quæ ex jure civili magno numero deponi possunt, prætereo. Hoc tantum adde quod distinctio hæc juxta Constitutionem Carolinam in judicando necessariò attendenda *P. N. D. art. 133. Vigel. in Const. Carol. c. 7. reg. 3. Gilb. in arb. jud. crim. 138. Harpr. in tr. cr. ad S. 5. l. de publ. jud. n. 9. & seqq. Concordat jus Saxon. Const. Elect. 4. part. 4.* Quanto autem tempore foetus in utero materno animam accipiat, Medicis determinandum relinquo.

45. Exhibens philtum seu poculum amatorium unde mors insequitur, ordinaria homicidij poena puniendus est: per text. expressum in *l. si quis aliquid. 38. §. qui abortionis 5. ff. de poen. cujus rationem reddidi thes. 5. Gomez. tom. 3. res. c. 3. n. 33. Damhoud. pr. crim. c. 61. n. 88. Bosf. in pract. cr. t. de homicid. n. 6. Menoch. de A. J. Q. caus. 358. Pet. Greg. Thol. in Synt. jur. univ. lib. 34. c. 12. n. 9. et seqq. Phil. Matth. ad l. si quis pregnantem 187. n. 23. 24. & 32. ff. de R. l. Harpr. tr. crim. d. l. n. 39. 40. 41. Eberh. Speck. cent. 3. clas. 2. q. 5.*

46. Seipsum non secus ac alium occidere prohibitum

D 2

hibitum esse ex th. 2. constat. Sed illud non perinde expeditum est: an capitali supplicio afficiendus sit, qui occidendi animo seipsum læsit, nec perfecit? Si quis super crimine capitali reus factus hoc attentet, pœnam mortis irrogari debere, quibusdam videtur; arg. l. qui rei 3. §. sic autem 6. ff. de bon. eor. qui ant. sent. l. si quis 28. §. fin. ff. de pœn. Verùm mitiorem pœnam hoc casu esse imponendam humanius, & verius est, *Wes. in par. ad L. Corn. de Sicar. n. 7.* Facile namq; accidere potuit, ut impatientia aliqua, tædium miseræ ac calamitosæ vitæ, aut morbus huic conatui deditit causam. *Dn. D. Hunn. in resol. & Bachov. in not. ad Treutl. disp. 32. th. 5. lit. d.*

47. Si quis seipsum planè interficiat, de pœna quaeri non potest. Crimen enim mortalitate extinguitur, pœnæq; in defunctis reis cessant; arg. l. 3. & l. defuncto 6. ff. de publ. jud. l. ex judiciorum 29. ff. de accus. l. 2. & 3. C. si reus vel accus. mort. atq; in cadavera mortuorum, non magis, quàm animalia bruta jus meri imperij exercendum esse, juris, & æquitatis ratio postulat, *Decian. lib. 9. pr. cr. c. 4. n. 14. Dec. in l. pupillam III. §. in heredes. n. 2. ff. de R. l. Peregr. de jur. fisc. lib. 4. t. 5. n. 2. Boss. in pr. cr. t. de accus. n. 53. Ampliff. Dn. D. Th. Michaelis p. m. de jurisd. concl. 97. lit. b. & c. qui tamen lit. a. in hoc præsentī casu, quo quis sibi ipsi mortem conscivit, contrarium statuit: & ita praticari videmus, ut cadavera ejusmodi desperatorum, qui promeritum supplicium eludere, & evitare conati sunt, non communi more sepeliri, sed in furcam tolli, aut sub ea sepeliri soleant. *V. Clar. 5. sent. §. fin. q. 51. n. 15. Wes. d. l. & imprimis Farin. q. cr. 10. n. 77. & seqq. Dn. D. Hunn. in resol. Treutl. d. th. 5. q. 43. in fin.**

48. Illud indubitati juris est, quod, si quis deferatur capiaturq; ob crimen, de quo admissio convictus, vitam
& bo-

& bona sua amittat; futuræq; sententiæ metu sibi violentas manus intulerit: in hujus bona heredes non succedant, *l. qui rei 3. pr. §. 1. 2. 3. ff. de bon. eor. qui ant. sent. & l. 1. C. eod. l. in fraudem 45. §. ejus bona 2. ff. de jur. fisc. P. H. S. art. 135. Francisc. Viv. lib. 2. com. ep. verb. Occidens n. 1. & 2. Dom. Card. Tusc. pr. concl. lit. H. concl. 152. num. 2. Cujac. in com. in lib. 16 resp. Papin. ad d. l. 3. Vigel. in Const. Carol. c. 7. reg. 5. Si quis autem non metu criminis mortem sibi consciverit: vel crimen, quod metuit, tale non fuerit, ob quod damnatus bona amitteret, heredes à bonis damnati non excluduntur, *per jur. alleg. Georg. Rem. in Schol. ad d. artis. crim. 135.**

49. Pœna Parricidij ex Lege Pompeja eadem, quæ legis Corneliæ de Sicarijs, *l. 1. ff. ad L. Pomp. de parric.* Erat tamen ante eas leges latas more majorum alia pœna recepta, quam postea reduxit Imp. Constantin. in *l. un. C. de his qui parent. vel lib. occid. & approbavit eam Justinianus in §. alia deinde 6. l. de publ. jud. non in omnibus parricidis, sed in his, qui parentum, & liberorum locum inter se obunent, Wes. in par. ad L. Pompej. de parric. Vult. in comm. ad d. §. 6. n. 4. l. de publ. jud. Alij pœnam eam ad affines etiam extendunt, propter vocabulum Affinitatis, in d. §. 7. Verùm textum esse corruptum, & pro voce Affinitatis reponendum esse Affectionis, ex interpretatione Theophili: & *l. un. C. de his qui parent. occid. (unde §. 6. de sumptus) nec non ex Cod. Theodos. probat Schneid. in com. l. ad d. §. n. 3.* Erat autem pœna parricidij, ut parricida virgis sanguineis cæderetur, *l. 1. ff. d. t. & postea culeo intutus cum cane, & gallo gallinaceo, vipera & simia in mare abjiceretur, d. l. unic.* Quæ pœna hodie in usu non est, ut patet ex *art. 131. Ord. crim. vers. welches Weib ihr Kind.**

50. Usq;

50. Usq; huc sufficienter, ut puto demonstratum est, quomodo puniantur, qui proprijs manibus dolo malo aliquem interfecerunt. Sequitur, ut de pœna homicidij mediatè commissi pauca addam. Ubi primò occurrat gravissimi criminis Assassini pœna, quæ, si ad actum occidendi proximum Assassinus processerit, est gladius: *arg. c. 1. de homic. in 6. idq; ob delicti atrocitatem, & Reip. commodum. Clar. pr. cr. §. assassinium. n. 2 Menoch. de A. F. Q. cas. 360. n. 41. & seq.* Si verò delictum sit consummatum, meritò crimen hoc gravius homicidio simplici, quod citra pecuniæ interventum committitur, coercendum est, *Damboud. pr. c. 8. n. 3. & seqq. Speckb. cent. 3. clas. 2. q. 3. omnino videndus. Farin. q. cr. 123. ubi Assassinij materiam plenissimè persequitur.* Quid si uterq;, Assassinator & Assassinus pœnitentiã ductus re adhuc integra à placito recessit? Pœnæ mitiori & arbitrariæ locum esse existimant Dd. Quid si alter conditionem à conductore oblaram acceptare nolit? Impunitus is demittendus est. Mandans autem, seu Locator arbitrio judicis puniendus.

51. Mandans homicidium simplex, eo secuto, capitali pœna unà cum mandatario punitur, *l. ejusdem 3. §. item is 4. ff. ad L. Corv. de Sic.* Nihil enim interest, occidat quis, an causam mortis præbeat, *l. nihil. 15. eod. & quod quis per alium facit, ipse fecisse censetur, c. qui facit 72. de R. I. in 6. l. is qui damnus 169. de R. I. Pet. à Plac. epist. delict. c. 15. n. 2. & n. 8. ubi; Quod si quis uni mandet committere homicidium, & is mandato suscepto rursus mandet alteri, omnes teneantur. & n. 9. ubi idem de nuntio literas ad homicidium committendum afferente, si nuntius de eo certior sit factus. Gomez. 3. res. c. 3. n. 39. Clar. §. homicidium n. 12 Damboud. pr. cr. c. 70. n. 13. Ang. Aret. tr. de malef. verb. & Sempron. Rodulph. n. 30. Iacob. de Nov. pr. & theopr. caus. crim. rabr. inditia quæ præced. deb. foli 30. v. 84. edit. Venet. Dec. in com. ad l. is damnus dat. n. 2. & 3 ff. de R. I. Nec attendenda distinctio, an mandatarius etiam mandato non interveniente homicidium commissurus fuisset, nec ne. Distinctioni enim huiç, quæ est Menoch. & aliorum, refragatur textuum adductorum generalitas, & rationes immortæ, uti hoc solidè demonstratum est à Dn. D. Hunn. in res. Treutl. d. 27. sb. 3. q. 27. vol. 1.*

52. Illud

52. Illud non diffiteor, eo casu, quo quis mandavit aliquem vulnerari, sub hac tamen expressa conditione & cautela, ne occidatur, postea homicidio secuto, mandantem vulnerari, cum mandatario pari pœna afficiendum non esse. Ad hoc enim, ut quis ordinariâ homicidij pœnâ afficiatur præcisè dolus, & animus occidendi requiritur, *l. 1. §. dixit ff. ad l. Corn. de Sic*, At mandantem hoc casu non habuisse animum occidendi, sed tantum lædendi & vulnerandi per alium, ex inhibitione mandatario facta constat. Stat ergo immota conclusio: mandantem hoc casu ordinaria pœna afficiendum non esse. Accedunt huic rationi *text. in l. Mela u. §. Celsus. l. buic. scripturæ 15. §. 1. ff. ad l. Aquil.* Alia non minus illustria Dd. argumenta prætereo in subitanea hac themarum rhapsodia. Reperies ea apud Dd. sententiæ hujus patrocinium suscipientes, *Gilhaus. in arb. jud. crim. c. 2. t. 12. n. 12. Fachin. 1. contr. jur. c. 36. D. Hunn. d. l. q. 28. Harpr. 17. cr. ad §. 1. de publ. jud. n. 54. Dissentientium cumulum vid. ap. Farin. q. cr. 135. n. 161.*

53. Oportunè hic quæritur: an mandans in loco delicti, vel mandati puniendus sit? In loco perpetrati delicti, nō in loco mandati eū puniendū multis placuit, *Marian. Socin. in c. postulasti n. 5 de for. comp. Ang. Aret. 17. de malef. verb. existens Florentiæ n. 2. Augustin. de Arimin. in add. ib. Plac. in epit. del. c. 15. n. 17.* Contrà *Farin. q. cr. 7. n. 48. de veritate hujus opinionis, quam ille communem dicit, dubitat, & in loco mandati mandantem puniri posse prolixè probat.* Ut utriq; dissentientium parti placeam, distinctionis fœdere utar: Aut agitur de pœna ob delictum ad effectum, aut saltem ad actum ei proximum jam deductum infingenda: aut de nudo tantum mandato doloso puniendo. Priori loco delicti consummat, aut attentati, utpote in quo crimen hæc suas qualitates, & formam accepit. Licet enim sine mandato hoc scelus non fuisset patratum: ex mandato tamen non necessario consequitur ipse effectus consummationis, & attentionis, qui varijs modis impediri potest. Posteriori casu, quia dolus circa mandatum admissus formam & perfectionem statim accipit in loco contractus, rectè etiam ibi coercebitur. Dubitari tamen posset, an hæc distinctio hodie locum & usum habeat, cum remissio illa, quæ de jure civili Romano necessitate fiebat ad locum delicti, hodie ex consuetudine Germaniæ meri arbitrij sit, ut nemo invitatus ad eam compelli possit, *Ves. in par. ff. de acc. n. 8. Gail. 1. de P. P. d. 16. n. 30. Dn. D. Eb. Mich. in celeberrima dissert. de jurisd. concl. 91.*

45. Qui

54. Qui consilium homicidæ dedit, homicidio secuto, æquè ac homicida ordinariâ pœna plectendus est per l. nihil inerefi 15. ff. ad L. Corn. de Sicar. quod communiter Dd. ad eum consultorem restringunt, sine cujus consilio, is qui deliquit aliàs delictum commissurus non fuisset, Alb. de Gandin. tr. de malef. t. de pœn. reor. n. 36. Bonif. de Vital. tr. de malef. t. de insult. percus. defens. n. 24. Dec. in l. consilium 47. n. 4. ff. de R. I. Menoch. de A. I. Q. cas. 361. n. 17. Barr. Tag. tract. crim. part. 11. n. 7. Quos refellit Phil. Matth. in comm. ad d. l. 47. de R. I. n. 13. per l. si quis seruo 20. C. de fure.

55. Auxilium, & opem in homicidio patrando qui tulit, tunc demum ultimo supplicio punitur, quando auxilium est cooperativum, & dedita opera præstitum: arg. l. un. ubi Salic. C. de rap. virg. Bonif. de Vitalin. d. l. secus, si auxilium remotum præstitum sit: tunc enim mitior pœna imponitur, c. 1. de offic. deleg. Glib. in arb. jud. cr. s. 2. t. 12. n. 14. 15. 16. ubi: quæ concurrere debeant, ut auxiliator possit puniri tanquam principalis.

56. Occasione Auxiliatorum lubet hic quærere: quomodo homicidium à pluribus commissum sit puniendum? Quæstio difficilima: pro cujus expeditiore resolutione casus subsequentes, cum Menoch. distinguendos existimo. Aut constat plures consulto dataq; opera, animo deliberato in necem alicujus conspirasse eumq; interfecisse, & hoc casu omnes tanquam homicidæ dolosi ordinariâ pœna plectendi, etiamsi, à quo vulnus lethale illatum sit ignoretur: text. est clarissimus in Const. crim. art. 148. pr. Clar. §. homicidium n. 37. vers. tuigitur. Menoch. de A. I. Q. cas. 362. n. 25. Gail. 2. O. 109. n. 1. & seqq. Aut citra deliberationem & occidendi animum plures convenerunt, & in pugna vel rixa casu exorta unicum vulnus illatum esse constat, ex quo vulneratus discessit, quis vero illorum inflixerit incertum est: hoc casu omnes puniendi extraordinaria homicidij pœna arbitrio judicis imponenda: ex ratione in l. 5. ff. de pœn. l. fin. ff. ad L. Corn. de Sic. Dec. in l. favorabiliores 125. n. 4. ff. de R. I. Clar. d. §. homicidium n. 38. Bes. tit. de homic. n. 20. Menoch. d. l. n. 19. Tirag. tr. de pœn. caus. 63. Gail. d. O. 109. n. 1. & 2: Cujus tamen assertiois limitationes nonnullas omninò observandas vid. ap. Gail. d. l. n. 3. Eberh. Speckb. cent. 3. cl. 2. q. 1. Aut certò sciri potest unum à pluribus in rixa subito exorta, pluribus vulneribus inflictis interemptum esse, quodq; ex tot vulneribus lethale sit, & à quo inflictum: & tunc benignius est eum tantum, qui vulnus lethale inflixit extraordinaria pœna puniri:

niti: reliquos de percussione, seu vulneribus solum teneri: *per text. in l. 1. §. Divus 3. ff. ad L. Corn. de Sic. car. Menoch. d. l. n. 2. 3. & 4.* nisi ex circumstantiis & conjecturis de animo occidendi doceri possit: tunc enim ordinariae poenae locum esse probatur *per d. l. 1. §. 3.* Aut apparet in rixa casuali plures plura vulnera uni intulisse, quae non singula, sed juncta lethalia fuerunt: quo casu, nisi animus occidendi argui possit, poenae extraordinariae locus est, *Menoch. d. cas. n. 14. & 15.* Aut deniq; apparet plures in rixa ejusmodi, multa vulnera lethalia alicui inflixisse, sed quis primum intulerit ignoratur: & in hac specie omnes quidem de occiso tenentur: sed propter incertitudinem, extra ordinem arbitrio judicis puniendi, *Menoch. d. l. Clar. §. homicidium n. 41. Quibus adde Harpr. rr. crim. ad §. 5. n. 45. & seqq. l. de publ. jud. Eberh. Speckh. d. q. 1. & cent. 1. q. 42. apud quos quaestionem hanc quotidie in practica occurrentem fuse explicatam invenies.*

57. Judex sive Magistratus injusta condemnatione, & iniquo exequendi jussu, alicujus morti dolo malo causam dans mortis poenam merito sustinet *per l. 1. pr. & §. 1. ff. ad L. Corn. de Sic. Damhoud. pr. cr. c. 70 n. 16. & 17.* Pariter testis, qui in causa capitali dolose, falsum adversus reum testimonium dixit, capite plectendus est, *Deut. 19. 16. & seqq. l. 1. §. 1. ubi Hipp. de Mars. n. 29. & 30. ff. ad L. Corn. de Sic. Damh. d. s. 70. n. 2. Don Ludov. à Pegu. q. cr. 19. per tot.*

58. Ex haecenus dictis constat: qualis homicidio doloso poena imponatur: quibus annectere placet quaest. controversam: an poena homicidij capitalis, de qua haecenus disserui, à Principe delinquenti remitti possit? Ita de facto, vel ut ajunt absoluta potestate, fieri nonnunquam videmus. Verum, si dicere licet, quod res est, nec Principibus ullis, nec mortalium cuiquam, homicidam dolosum, vel ejus conditionis alium, mortem conmeritum impunè dimittere licet. Dei enim judicium est, *Pf. 82.* estq; abominabilis coram eo, qui impium absolvit, *Prov. 17. 15.* & faciem in judicio cognoscit, *Levit. 19. v. 15. Deut. 17. pr.* Auferat itaq; Princeps malum à medio populi: & ab altari divellatur homicida, ne sanguinem ab ejus manu exigat Jehova, qui sanguinem temere effundentis rursus dispergere jussit. Quod si ne Principi quidem fas est, quod alterius, vel minimum intersit, aut injuriam alteri illatam condonare, quonam modo delictū id, quod lege divina capitale est, dissimulare poterit? verba sunt *Ioh Bodin lib. 1. de Rep. c. 19 n. 166. p. 266.* Ex quò facile apparet summam juris esse corruptelam, justitiae Dei prorsus contrariam,

E

tariam,

trariam, quæ sponsæ, virgini Vestali, aut creaturæ Papæ, Cardinali purpurato, morti præripere reum permittit. A qua non dissimilis illa, quæ ob pompam nuptialem Principis, vel novi Domini inaugurationem homicidis, & aliorum graviorum criminum reis impunitatem concedit.

59. Dicendum nunc est, quomodo homicidium commissum quodammodo excusetur. Excusationem primò meretur homicidium culposum, de quo th. 37. quod non ordinaria, sed extraordinaria pœna, pro varietate circumstantiarum punitur, l. eisdem 3. §. 2. l. 4. §. 1. ff. ad L. Corn. de sic. l. illicita 6. §. sicuti medico 7. ff. de offic. præf. P. N. D. art. 145. vers. Aber datmoçk mehr ist. Hinc medici, qui negligentius in cura versati sunt, aut non satis eruditi in arte sua occiderunt, pro damni dati ratione extra ordinem puniuntur, P. N. D. art. 134.

60. Hic pretium operæ est decisionem indagare notæ & vexatissimæ illius disputationis: an ille, qui Titium occidit, dum vellet occidere Sejum, ut casualis homicida, qui culpa interveniente occidit, extra ordinem puniendus sit? Pro Affirmativa disputari a multis solet, quorum rationes videri possunt ap. Menoch. de A. l. Q. cas. 324. n. 10. Damhoud. in pr. cr. c. 85. n. 7. Tiragui. de pœn. temp. caus. 14. n. 4. Vvesenb. in §. 5. n. 2. l. de publ. jud. arg. pro hac sententia Collegium juridicam Academiæ Marpurgensis aliquoties respondisse refert Phil. Mareb. ad l. 56. de R. l. n. 24. & in praxi eam servandam dicit Gomez. 3. res. c. 3. n. 35. Contrariam tamen sententiam, solidioribus juris rationibus inniti non dubito, propter text. in l. eum qui §. pen. & ult. ff. de injur. l. si quiservo C. de fure. §. sed etsi credat l. de obl. que ex del. nasc. l. is qui cum relo C. ad L. Corn. de Sic. Clar. §. homicidium n. 6. Bos. tit. de homic. n. 73. Dan. Moll. ad const. Elect. 6. p. 4. Theff. decis. Pedem. 243. n. 1. Thoming. decis. 38. n. 6.

61. Ratione ætatis excusari Minores & Senes pleriq; persuasum est, Menoch. de A. l. Q. cas. 329. n. 20. Damhoud. in prax. rer. cr. c. 84. n. 33. Vincent. Caroc. de min. in del. excus. q. 29. Gail. 2. O. 110. n. 32. Gilh. in arb. jud. cr. c. 2. §. 12. n. 54. Verùm solam ætatem, nisi aliæ concurrant circumstantiæ excusationem à pœna non ordinaria mereri existimo cum Excell. Dn. D. Hunn. in tr. de jur. p. 1. c. 5. q. 5. & 6.

62. Furiosum, qui ante furorem homicidium commisit, excusari, ita ut pro delicto ante furorem commisso, in ipso furore non ultimo supplicio, sed bonorum publicatione, aut alia pœna af

fici debeat dicendum esse videtur juxta tradita à *Gail. d. O. 110. n. 22.* quod ipsum pietas & consideratio salutis animæ suadere videtur, ut maximè ex jure civili contrarium probabiliter defendi possit. De Ebrio homicidium committente, an & quando excusetur vid. *Gail. d. O. 110. n. 24. & seqq.*

63. Homicidium iracundiæ calore, & nimio amoris æstu perpetratum a pœna ordinaria excusari multis videtur. Quod lege probari non video, nisi id, quod de iracundia dicitur de eo accipias, qui ab alijs ad iram provocatus, & ita justo dolore motus provocantem interfecit, per *l. 38. §. 8. ff. ad L. jul. de adult. V. Gail. d. l. Gilbauf. d. l. 6. 2. 8. 12. n. 54.* Sic à pœna ordinaria excusatur, qui in defendendo moderamen inculpatæ tutelæ non observavit, *W. H. D. art. 142. vers. Nennlich. VVes. p. 1. conf. 19. n. 53. Sixtin. conf. Morp. 16. n. 92. vol. 2.*

64. De excusatione homicidij in rixa commissi supra dixi. Valde quoq; trita & vulgata homicidis excusatio est; interfectum non esse mortaliter vulneratum, & non ex vulnere obiisse, sed propter malum regimen, sive curam, vel imperitiam medici, vel quod febris & symptoma aliquod supervenerit. *Vid. ord. crim. art. 147. ubi quomodo vulnus lethale non fuisse probetur. conf. Clar. in §. homicidium n. 42. Gilbauf. in arb. crim. jud. 6. 2. 8. 12. n. 56.*

65. Homicidium voluntarium lege permittente commissum omnino non punitur: ut & id, quod mentis imbecillitate, nec non casu commissum, de quo supra differui.

66. De pœna Quasi homicidij prolixè non ago. Illud tantum moneo, quod hodie ex generali consuetudine is qui occidendi causa cum telo obambulat, si eventus non fuerit secutus gladio regulariter non punitur, *V. Const. Carol. art. 163. Clar. in §. homicidium in fin. Menoch. de d. l. Q. cas. 360. n. 92. VVes. in par. ad L. corn. de sic. n. 15.* De pœna talionis in castratores constituta agit *Imp. in Nov. 142. V. Rittersh. in expos. Nov. p. 12. c. 12.*

67. Plurium supererat scemmatum in mente styloq; foetus, sed fastidij causa volens abortior & sepono. Hac abibo coronide; Si in confinio duorum territoriorum quis occisus reperitur vulgò receptum est, ejus esse de delicto cognoscere, in cujus territorio capite incumbit occisus. Quidam ejus, in cujus territorio tot reperitur. Alij cognitionem ei deferunt in cujus territorio infima parte corporis, vel solis etiam pedibus recumbit. Cognitionem ad utrumq; pertinere probabilius defenditur.

HUMANISSIMO, NEC NON DOCTISSIMO,
DN. RESPONDENTI, Fautori populari &
affini meo colendo.

JOHANNES NATORPIUS

per Anagr.

INI: ENI HONOS PARATUS.

Promptus IN Iuris, claro sub Præside, bellum:
ENI tibi victori namq; PARATUS HONOS.

Sincera benevolentia ergo gratulab. accinet.

M. HENRICUS VULPIUS, Lemgovia Westphalus,
Scholæ Senatoriz Rostoch. Rector.

Archetypus nihil est plateum servare Themistæ
Hercas: nihil est obiter responsa Donelli
(Rectius aut si quid dederit Cujacius illi)
Discere, cum noctu medio stant sydera Cœle
Atq; orbem peragunt pigri serrata Bootæ
Ni simul illa coquat discursus ardor & ictus
Qui suavit rerum penitus penetrare medullas.
Istud odoratis, cum jam proponis amice
Materiam cordis, quæ me hercules congruit ævo
Heu nimium nostro, quo flumina sæpe colorat
Innocuus sanguis, & tot moriuntur in armis
Quot deleverunt neu Cannæ, aut pugna Saguuti.
Gratulor his ceptis, quæ aurum laurumq; parabunt.

*Præstantissimo Joanni Natorpio amico honorando inter
negotia adscripti*

M. MICHAEL HAVEMAN.

*Præstantissimo & Politissimo Dn. RESPONDENTI, Comensali
Conterraneo & amico suo individuo.*

JOHANNES NATORPIUS

per anagr. mut. lit. n. in r.


PARASNE TUIS HONORI?


Esse PARASNE TUIS possis quo semper HONORI?
Pergito sic spes clarus honore, Vale.

amicitiam fraternam testaturus, fundebat

HENRICUS Störcke Lemgovia Westf.

•• (o) ••





the scale towards document

percussione, seu vulneribus solum teneri: per text.
L. Corn. de Si car. Menoch. d. l. n. 2. 3. & 4. nisi ex
conjecturis de animo occidendi doceri possit:
et poenae locum esse probatur per d. l. i. §. 3. Aut
si plures plura vulnera uni intulisse, quae non
sunt lethalia fuerunt: quo casu, nisi animus oc-
cidi poenae extraordinariae locus est, Menoch. d. cas.
q; appareat plures in rixa ejusmodi, multa vulne-
ravit, sed quis primum intulerit ignoratur: &
quidem de occiso tenentur: sed propter incer-
titudinem arbitrio judicis puniendi, Menoch. d. l.
41. Quibus adde Harp. tr. crim. ad §. 5. n. 45. &
Sb. Speckh. d. q. 7. & cens. 1. q. 42. apud quos questio-
nastica occurrentem fuisse explicatam invenies.

Magistratus injusta condemnatione, & iniquo
licijus morti dolo malo causam dans mor-
tuitiner per l. 1. pr. & §. 1. ff. ad L. Corn. de
70 n. 16 & 17. Pariter testis, qui in causa capi-
adversus rem testimonium dixit, capite ple-
9. 16. & seqq. l. 1. §. 1. ubi Hipp. de Mars. n. 29. & 30.
amb. d. s. 70. n. 2. Don Ludov. à Pegu. q. cr. 19. per cor-
dictis constat: qualis homicidio doloso poena
annectere placet quae controversam: an
talis, de qua haecenus differui, à Principe de-
sit? Ira de facto, vel ut ajunt absoluta potesta-
videmus. Verum, si dicere licet, quod res
illis, nec mortalium cuiquam, homicidam do-
tionis alium, mortem conmeritum impunè
enim judicium est, Ps. 82. estq; abominabilis
n absolvit, Prov. 17. 15. & faciem in judicio co-
Deut. 17. pr. Auferat itaq; Princeps malum à
altari divellatur homicida, ne sanguinem ab
ova, qui sanguinem temere effundentis rursus
quod sine Principi quidem fas est, quod alte-
ter sit, aut injuriam alteri illatam condonare,
tū id, quod lege divina capitale est, dissimulare
b Bodin lib. 1. de Rep. c. 19. n. 166. p. 260. Ex quò facile
esse corruptelam, justitiae Dei prorsus con-
tariam,

E

tariam,